



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 65. Cardinales ad votorum inspectionem procedunt, Papam electuri

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



tire, solo excepto Ænea Piccolominæo, Sæcul. XV.  
 qui tanto muneri se omnino imparem A.C. 1458.  
 professus est.

## §. LXV.

*Cardinales ad Scrutinium procedunt,  
 Papam electuri.*

Paulo post Sacro de more peracto Scrutinium inchoant Cardinales, ubi posito ad Altare Calice aureo Cardinales Ariminensis, Rothomagensis, & Columna proximius accesserunt, ne fraus intercederet, curaturi. Ceteri Cardinales quisque suum occupabant locum, ac tandem servato antiquitatis suæ ordine surgentes, calici imponebant schedam, in qua scriptum erat nomen illius, quem suffragio suo designabant. Cum accederet Piccolominæus, Cardinalis Rothomagensis, etsi eundem sibi contrarium bene nosset, nihilominus se continere haud poterat, quin ei diceret: *Me tibi commendo.* Verba sane, intempestivæ imprudentiæ indicia; eo enim res jam devenerat, ut Schedulam suam scriptam Æneas mutare haud potuisset. Respondit tamen paucis hæc verbis: *Quid te commendas vili vermiculo terræ?* Post hæc suum repetiit locum. Peracta tandem suffragiorum collectione ad medium aulæ collocabatur mensa, ex qua illi tres Cardinales, qui



Sæcul. XV. *A.C. 1458.* sacri Calicis Custodes deputati erant, acceperunt calicem, illumque supra mensam effuderunt. Quo facto, quodnam quævis scheda nomen contineret, alta voce, ut omne fraudis periculum abesset, publicatur, compertumque, novem Cardinales in Æneam Senensem convenisse, Rothomagensi vero Cardinali sex fuisse suffragia, reliquis multo minora.

Cum autem nullus legitimum votorum haberet numerum, placuit Cardinalibus denuo considerare, & viam *per accessum* experiri, quo jam dejecta Rothomagensis Cardinalis spes quodammodo reviviscere videbatur, quamvis nec hac via voti compos factus esset. Sedebant omnes suis in locis taciti, junioribus expectantibus, quid seniores dicerent. Tandem Vice-Cancellarius assurgens inquit: *Ad Senensem Cardinalem accedo*, qua voce Rothomagensis Cardinalis velut fulmine percussus obrigit. Facto tantisper silentio, alter alterum intuens nonnisi nutibus suos indicabat affectus; illi vero, qui semetipsos Pontificatus spe lætabant, cum Piccolominæum eligendum præviderent, aula excefferunt, varios causati obtentus.